

**Ovid: Ov.ars. 3,611-640**

**Text Original:**

Qua vafer eludi possit ratione maritus,  
    Quaque vigil custos, praeteriturus eram.  
Nupta virum timeat: rata sit custodia nuptae;  
    Hoc decet, hoc leges iusque pudorque iubent.  
Te quoque servari, modo quam vindicta redemit,  
Te quoque servari, modo quam vindicta redemit,           615  
    Quis ferat? Ut fallas, ad mea sacra veni!  
Tot licet observent (adsit modo certa voluntas),  
    Quot fuerant Argo lumina, verba dabis.  
Scilicet obstabit custos, ne scribere possis,  
    Sumendae detur cum tibi tempus aquae?           620  
Conscia cum possit scriptas portare tabellas,  
    Quas tegat in tepido fascia lata sinu?  
Cum possit sura chartas celare ligatas,  
    Et vincto blandas sub pede ferre notas?  
Caverit haec custos, pro charta conscia tergum           625  
    Praebeat, inque suo corpore verba ferat.  
Tuta quoque est fallitque oculos e lacte recenti  
    Littera: carbonis pulvere tange, leges.  
Fallet et umiduli quae fiet acumine lini,  
    Ut ferat occultas pura tabella notas.           630  
Adfuit Acrisio servandae cura puellae:  
    Hunc tamen illa suo crimine fecit avum.  
Quid faciat custos, cum sint tot in urbe theatra,  
    Cum spectet iunctos illa libenter equos,  
Cum sedeat Phariae sistris operata iuvencae,           635  
    Quoque sui comites ire vetantur, eat,

Cum fuget a templis oculos Bona Diva virorum,  
Praeterquam siquos illa venire iubet?  
Cum, custode foris tunicas servante puellae,  
Celent furtivos balnea multa iocos, 640